

rentum commodè possint supplere defectum.

SECUNDA DIFFICULTAS.

Quæritur num baptisandi sint infusione? cum enim infantes expavescant, Missionarii quidam solent manum aquâ intinctam fronti eorum applicare, vel spongiâ utuntur?

RESOLUTIO.

Non esse immutandum Ecclesiæ ritum.

TERTIA DIFFICULTAS.

Quæritur utrum observandæ sint Baptismi Cæremoniæ in illis Missionibus, in quibus nullæ adhuc reperiuntur Ecclesiæ, vel in quibus usus non invaluit adhibendi Unctiones, aliasque Cæremonias Baptismi, an omitti possint?

RESOLUTIO.

Non esse omittendas, imò curandum, ut ubi non invaluit earum usus, introducatur.

QUARTA DIFFICULTAS.

Quæritur quid faciendum incumbat Missionario, qui imprudenter & inconsideratè baptisasset omnes Missionis suæ infantes, quorum patres & matres adhuc infideles essent?

RESOLUTIO.

Teneri per se, vel per alios, quantum fieri potest instruere filios Infidelium imprudenter & inconsideratè baptisatos, cum ad usum rationis pervenerint, monitis etiam cæteris Missionariis, imò & Episcopo quatenus opus fuerit.

QUINTA DIFFICULTAS.

Quæritur utrum antequam adulto conferatur Ba-